



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

De crudelitate, quæ opponitur clementiæ. Quæstio 159.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

est ex passione: ideo iudicare dicitur, non irasci. Alio modo accipitur ira pro motu appetitus sensitivi, qui est cum passione & transmutatione corporali. Et hic quidem motus ex necessitate consequitur in homine ad simplicem motum voluntatis: quia naturaliter appetitus inferior sequitur motum appetitus superioris, nisi aliquid repugnet. Et ideo non potest totaliter deficere motus iræ in appetitu sensitivo, nisi per subtractionem, vel debilitatem voluntarij motus. Et ideo ex consequenti etiam defectus passionis iræ vitiosus est, sicut & defectus voluntarij motus ad puniendum secundum iudicium rationis.

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui totaliter non irascitur cum debet irasci, imitatur quidem Deum quantum ad carentiam passionis, non autem quantum ad hoc quod Deus ex iudicio punit.

Ad secundum dicendum, quod passio iræ utilis est, sicut & omnes alij motus appetitus sensitivi, ad hoc quod homo promptius exequatur id quod ratio dicit: alioquin frustra esset in homine appetitus sensitivus, cum tamen natura nihil faciat frustra.

Ad tertium dicendum, quod in eo qui ordinatè agit, iudicium rationis non solum est causa simplicis motus voluntatis, sed etiam passionis appetitus sensitivi, ut dictum est\*. Et ideo sicut remotio effectus est signum remotionis causæ, ita etiam remotio iræ est signum remotionis iudicij rationis. In corp. art.

QVÆST. CLIX.

*De Crudelitate, in duos articulos divisa.*

Hinc considerandum est de crudelitate.

¶ Et circa hoc quaeruntur duo.

¶ Primo, virum crudelitas opponatur clementiæ?

¶ Secundo, de comparatione eius ad saevitiam vel feritatem.

774  
Inf. 4. 2.  
ad 1.  
li. 2. c. 4.

*Vtrum crudelitas opponatur clementia?*  
Ad primum sic proceditur. Videtur, quod crudelitas non opponatur clementia. Dicit enim Seneca\* in 2. de clementia, quod illi vocantur crudeliter, qui excedunt modum in puniendo: quod contrariatur iustitia. Clementia autem non ponitur pars iustitia, sed temperantia. Ergo crudelitas non videtur opponi clementia.

¶ 2. Præterea, Ierem. 6. dicitur, Crudelis est, & non miserebitur: & sic videtur quod crudelitas opponatur misericordia. Sed misericordia non est eadem clementia, ut supra dictum est\*. Ergo crudelitas non opponitur clementia.

¶ 3. Præterea, Clementia consideratur circa infirmitatem peccatorum, ut dictum est f. Sed crudelitas consideratur in subtractione beneficiorum, secundum illud Prouer. 11. Qui autem crudelis est, etiam propinquos abiecit. Ergo crudelitas non opponitur clementia.

¶ 4. SED contra est, quod dicit Seneca in 2. de Clementia, quod opponitur clementia crudelitas: quæ nihil aliud est, quam atrocitas animi in exigendis poenis.

RESPONDEO dicendum, quod nomen crudelitatis à cruditate sumptum esse videtur. Sicut uentem ea quæ sunt cocta & digesta, solent habere uentem & dulcem saporem: ita illa quæ sunt crudæ, habent horribilem & asperum saporem. Dicitur enim autem supra, quod clementia importat quandam animi lenitatem siue dulcedinem, per quam aliquantulum diminuitur poenarum. Unde directe crudelitas clementia opponitur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut diminutio poenarum, quæ est secundum rationem, pertinet ad epikuriam, sed ipsa dulcedo affectus, ex qua homo ad hoc inclinatur, pertinet ad clementiam: ita etiam superfluitas poenarum quantum ad id, quod exterius agitur,

tur, pertinet ad iniusticiam: sed quantum ad austeritatem animi, per quam aliquis sit promptus ad poenas augendas, pertinet ad crudelitatem.

Ad secundum dicendum, quod misericordia & clementia conueniunt in hoc, quod utraque refugit & abhorret miseriam alienam: aliter tamen & aliter. Nam ad misericordiam pertinet miseriam subuenire per beneficij collationem. Ad clementiam autem pertinet miseriam diminuere per subtractionem poenarum. Et quia crudelitas superabundantiam in exigendis poenis importat, directius opponitur clementie quam misericordie: tamen propter similitudinem harum virtutum accipitur quandoque crudelitas pro immiserordia.

Ad tertium dicendum, quod crudelitas ibi accipitur pro immiserordia, ad quam pertinet beneficia non largiri. Quamuis etiam dici possit quod ipsa beneficij subtrahio, quedam poena est.

ARTIC. II.

*Utrum crudelitas a sauitia, siue feritate differat?*

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod crudelitas a sauitia siue feritate non differat. Vni enim virtuti ex vna parte vnum vitium videtur esse, oppositum. Sed clementie per superabundantiam opponitur & sauitia & crudelitas. Ergo videtur quod sauitia & crudelitas sint idem.

¶ 1. Præterea, Isidorus dicit in lib. \* Etymologiarum, quod seuerus dicitur quasi saeuus & verus, quia sine pietate tenet iusticiam: & sic sauitia videtur excludere remissionem poenarum in iudicijs, quod pertinet ad pietatem. Hoc autem dictum \* est ad crudelitatem pertinere. Ergo crudelitas est idem quod sauitia.

¶ 2. Præterea, Sicut virtuti opponitur aliquod vitium in excessu, ita etiam & in defectu. Quod quidem contrariatur & virtuti quæ est in medio, & vitio quod est in excessu. Sed idem vitium ad defectum

2 2 perti-

775  
Supra q.  
257 a. 1.  
ad 3.

lib. 10. c.  
18. inus  
initium  
est, sapie  
cir. med.  
Ar. præc.  
ad 1.

pertinens, opponitur & crudelitati & sauitia: videlicet remissio vel dissolutio. Dicit enim Gregor. 20. Moral. \* Sic amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè sauiens: sit pietas, sed non plus quàm expediat parcens. Ergo sauitia est idem crudelitati.

SED contra est, quod Senec. dicit in 2. de Clementia \*, quod ille qui non est læsus, nec peccatori irascitur, non dicitur crudelis, sed ferus, siue sauius.

RESPONDEO dicendum, quod nomen sauitiæ & feritatis à similitudine ferarum accipitur, quæ etiam dicuntur sauiæ. Huiusmodi enim animalia nocent hominibus; vt ex eorum corporibus percantur, non ex aliqua iustitiæ causa, cuius consideratio pertinet ad solam rationem. Et ideo propriè loquendo, feritas vel sauitia dicitur, secundum quam aliquis in pœnis inferendis non considerat aliquam culpam eius, qui puniatur, sed solum hoc quod delectatur in hominum cruciatu. Et sic patet quod continetur sub bestialitate. Nam talis delectatio non est humana, sed bestialis, proueniens vel ex mala consuetudine, vel ex corruptione nature, sicut & aliæ huiusmodi bestiales affectiones. Sed crudelitas non solum attendit culpam in eo qui puniatur, sed excedit modum in puniendo. Et ideo crudelitas differt à sauitia siue feritate, sicut malitia humana à bestialitate, vt dicitur in 7. Ethic. \*

Ad primum ergo dicendum, quod clementia est virtus humana. Vnde directè sibi opponitur crudelitas, quæ est malitia humana. Sed sauitia vel feritas continetur sub bestialitate. Vnde non directè opponitur clementiæ, sed superexcellentiore virtuti, quam Philosophus \* vocat heroicam vel diuinam, quæ secundum nos videtur pertinere ad donum Spiritus sancti. Vnde potest dici quod sauitia directè opponitur dono pietatis.

Ad secundum dicendum, quod seuerus non dicitur simpliciter sauius, quia hoc sonat in vitium, sed

li. 20. Moral. c. 8. ante me.

li. 2. c. 4. cir. med.

li. 7. c. 5. tom. 5.

li. 7. eth. cir. prin. li. 20. 5.

sed dicitur saeuus circa ¶ veritatem, propter aliquam ¶ al. seuze  
 similitudinem sauitiæ, quæ non est diminutiva pe- ritatem  
 narum.

Ad tertium dicendum, quod remissio in punien-  
 do non est vitium, nisi in quantum prætermitti-  
 tur ordo iustitiæ, quo aliquis deberet puniri pro-  
 pter culpam quam excedit crudelitas. Sauitia au-  
 tem penitus hunc ordinem non attendit. Vnde re-  
 missio punitionis directe opponitur crudelitati, non  
 autem sauitiæ.

QVÆST. CLX.

*De Modestia, in duos articulos diuisa.*

**D**Einde considerandum est de modestia. Et primo  
 de ipsa in communi. Secundo, de singulis quæ  
 sub ea continentur.

¶ Circa primum quærentur duo.

¶ Primo, verum modestia sit pars temperantiæ?

¶ Secundo, quæ sit materia modestiæ.

ARTIC. I.

*Verum Modestia sit pars temperantiæ?*

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod mo-  
 destia non sit pars temperantiæ. Modestia,  
 enim à modo dicitur. Sed in omnibus virtutibus re-  
 quiritur modus. Nam virtus ordinatur ad bon-  
 um. Bonum autem, vt August. dicit\* in lib. de  
 Natura boni, consistit in modo, specie & ordine.  
 Ergo modestia est generalis virtus. Non ergo debet  
 poni pars temperantiæ.

¶ 2 Præterea, Laus temperantiæ videtur consi-  
 stere præcipue in quadam moderatione. Ex hac au-  
 tem sumitur nomen modestiæ. Ergo modestia est  
 idem quod temperantia, & non pars eius.

¶ 3 Præterea, Modestia videtur consistere circa  
 proximorum correctionem, secundum illud 2 ad Ti-  
 moth. 2. Seruum Dei non oportet ligare, sed man-  
 uerum esse ad omnes: cū modestia corripientem eos  
 qui resistunt veritati, Sed correctio delinquentium,  
 qui resistunt veritati, Sed correctio delinquentium.

Z 3 est

776

Supra 9.  
 142. Et 2  
 d. 94. q. 2  
 a 1. ad 3.  
 Et 3. dif.  
 33. q. 7.  
 a. 2. q. 2.  
 10. Et ad  
 7. Et ad  
 Ti. 3. 10. 2  
 6. 3. 10. 6.